RHETORICÆ ADUMBRATIO.

Opera & Studio

H. KNOLLYS.

LONDINI,
Anno Domini, 1663.

Rhetoricæ Adumbratio.

RHetorica eſt Ars ornatè dicendi.

Partes Rhetoricæ ſunt duæ { Elocutio, & Pronunciatio.

Elocutio eſt interna exornatio orationis. Eſt autem duplex, Tropus aut Figura.

Tropus eſt elocutio, quâ vox à nativâ ſignificatione in aliam immutatur.

Affectiones Tropi ſunt { Catachreſis. Hyperbole. } Metalepſis. Allegoria.

Catachreſis eſt votis abuſio, aut durior immutatio; ut, *Vir gregis ipſe Caper. Capitis nives.*

Hyperbole eſt audacior Tropi ſuperlatio, quæ fit vel augendo vel minuendo; ut cùm *liberalis* dicitur *magnificus*: aut *adulator blandus.*

Metalepſis eſt Tropi in uno verbo multiplicatio, ſive accumulatio: ut, *Poſt aliquot ariſtas*: ubi primò per *ariſtas ſpicas*; deinde per *ſpicas ſegetes*; per *ſegetes, aſtates*;

tes; per *æstates, annos* intelligimus.

Allegoria est Tropi continuatio: ubi observandum, quo ex genere rerum cæperis, eodem desinas: ut, *Accipite scutum fidei, galeam salutis, gladium spiritûs, & universam Dei armaturam.*

Species Tropi sunt 4.

Metonymia, Ironia, Metaphora, Synecdoche

Metonymia est Tropus Causæ, Effecti, Subjecti, & Adjuncti.

Causa est Efficiens aut Materia.

Metonymia Efficientis est, cùm Inventor & author pro ipsis effectis rebus usurpantur: ut, *Livius* pro *historiâ*. Sic Instrumentum pro re effectâ; ut, *Lingua* pro *sermone*; *manus* pro *scripturâ*; *gladius* pro *cæde*; *arma* pro *bello*,

Metonymia Materiæ est, cùm nomen materiæ pro effecto ponitur; ut, *Ferrum* pro *gladio*; *æs* pro *nummo*; *abies* pro *navi*.

Metonymia Effecti est, cùm ex effectis efficiens significatur; ut victoria *insolens*, mors *pallida*. Sic *scelus* pro *sceleſto*. *Opus* pro *authore*.

Metonymia Subjecti est, cùm nomen

Subjecti ad significandum Adjunctum traducitur.

Subjectum est, cui aliquid quocunque modo inest, aut adhæret.

Fit autem novem modis. 1. Subjectum pro qualitate inhærente, ut *cor* pro *prudentiâ*. 2. Continens pro re contentâ, ut *poculum* pro *potu*. 3. Locus pro incolis, ut *urbs* pro *civibus*. 4. Locus pro rebus gestis, ut *forum* pro *actionibus*. 5. Possessor pro re possessâ, ut *Ucalegon* pro *domo*. 6. Dux pro exercitu. 7. Patronus pro Cliente. 8. Res, pro tempore, ut *messis* pro *æstate*. 9. Nomen rei signatæ pro signo, ut *Orpheus* pro *imagine*.

Metonymia Adjuncti est, cùm ex Adjuncto Subjectum significatur.

Adjunctum est quicquid alteri quocunq; modo inest aut adhæret.

Fit autem octo modis. 1. Qualitas inhærens pro personis, ut *pudor* pro *pudico*. 2. Res contenta pro continente, ut *vinum* pro *paterâ*. 3. Tempus pro subjectis, ut *secula* pro *hominibus*. 4. Signum pro re significatâ, ut *sceptrum* pro *regno*. 5. Res locata pro

pro loco, ut *libelli* pro *Bibliotheeis*. 6. Antecedens pro consequente, ut *auscultare* pro *obtemperare*; *fuimus Troës*, pro *non amplius sumus*. 7. Consequens pro Antecedente: ut, *Evigilavit* pro *dormitat*. 8. Concomitans unum pro altero; ut, *pedes tegere* pro *alvum levare*.

Ironia

A Disparato est, quando aliquid affirmatur vel negatur de aliâ personâ, & de aliâ intelligitur: ut, —*Nec in his quisquam damnatus & exul.*

A Contrario est, quando ex contrario contrarium significatur; ut, *curâsti probè. Bellè aboletis mandatum Dei, ut traditionem vestram servetis.*

Ironiæ species sunt Paraleipsis & Apophasis. Paraleipseos formulæ sunt, *prætereo, mitto, taceo, concedam, &c.*

Apophasis hujusmodi est. *Nec ea dico, quæ si dicam, tamen infirmare non possis.*

Metaphora

Est Tropus à simili ad simile.

Octo præcipuè sunt classes, unde duci-

1. A Sacris; ut, *Homo homini Deus.*
2. A Cœleſtibus; ut, *Poetarum Sol.*
3. Ab Elementis; ut, *Eloquentiæ flumen.*
4. A Meteoris; ut, *Fulmen orationis.*
5. A Mineralibus; ut, *aurea ſecula.*
6. A Vegetalibus, ut, *Flos nobilitatis.*
7. Ab Animalibus; ut, *Anglia Inſularum ocellus.*
8. Ab Artificialibus; ut, *Appion Cymbalum mundi.* Sic dicimus *limare, expolire orationem.*

Synecdoche

Eſt, cùm id quod partis eſt attribuitur Toti, aut contrà.

Pars eſt membrum aut ſpecies. Totum, Integrum aut Genus.

Synecdoche Membri. *Tectum* pro *domo. Caput* pro *homine. Mucro* pro *gladio.* Singularis pro Plurali.

Synecdoche Speciei. *Cræſus* pro *divite. Mecœnas* pro *patrono. Sexcenta* pro numero magno in genere.

Synecdoche Integri. *Xanthumque bibiſſent. Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim.* Item Pluralis pro Singulari.

Syneci

Synecdoche Generis. *Homo* pro *Catilinâ*. *Virtus* pro *fortitudine*. *Peëta* pro *Homero aut Virgilio*. *Orator* pro *Demoſthene aut Tullio*.

FIGURA

Eſt Ornatus Orationis in Sono, & in Senſu. Duplex autem eſt, Dictionis & Sententiæ.

Figuræ Dictionis ſunt novem. Epizeuxis, Anadiploſis, Anaphora, Epiſtrophe, Symploce, Epanalepſis, Epanodos, Paronomaſia, & Polyptoton.

1. *Epizeuxis* eſt, cùm ſimilis ſonus continuè in eadem ſententia iteratur. Idque in parte vocis a principio, aut fine; vel in voce integra: ut,

Heu Solyme, Solyme, quæ te dementia cepit?

2. *Anadiploſis* eſt, quando ſonus in fine ſententiæ præcedentis, iteratur in principio ſequentis: ut,

Cerient & cygnis ululæ, ſit Tityrus Orpheus;
Orpheus in ſylvis, inter Delphinas Arion.

Anadiploſis pluribus gradibus continuata, dicitur Climax: ut, *Induſtria parit virtutem, virtus gloriam, gloria inimicitias, inimicitiæ pericula.*

3. *Anaphora* eſt repetitio ſoni ſimilis in principiis ſententiarum: ut,

Tu ſol, tu clypeus, tu Dominus, tuis
Tu das conſpicua fulgere gloria.

4. *Epiſtrophe* eſt, cum ſimilis ſonus in clauſulis iteratur: ut, *Cum eſſem* infans; *loquebar*, ut infans; *ſapiebam*, ut infans; *cogitabam*, ut infans.

Eſt

Eſt hæc, Judices, non ſcripta, ſed nata lex; quam non didicimus, accepimus, legimus; verum ex ipſa natura arripuimus, hausimus, expreſſimus: ad quam non docti ſed facti; non inſtituti, ſed imbuti ſumus.

5. *Symploce* eſt, cum idem ſonus in principiis & in clauſulis iteratur: ut, Quis *legem tulit*? Rullus. Quis *majorem populi partem ſuffragiis privavit*? Rullus. Quis *comitiis præſuit*? *idem* Rullus.

6. *Epanalepſis* eſt, quando eadem dictio principium & finem ſententiæ tenet; ut, Creſcit *amor nummi, quantum ipſa pecunia* creſcit.

7. *Epanodos* eſt iteratio ejuſdem ſoni in principio & clauſula diverſarum ſententiarum, Anadiploſi intercedente; ut, *Gratiam qui refert, habet: Et qui habet, eo quod habet, refert.*

8. *Paronomaſia* eſt mutatio dictionis per literam aut ſyllabam in aliam ſignificationem: ut, Hominum *eſt virtus, non* nominum. *Eodem arcu* chordas *ferit, & corda.*

9. *Polyptoton*, eſt oratio caſuum mutatione varie diſtincta: ut,

——*littora littoribus contraria.*
Ex nihilo nihil, in nihilum nil poſſe reverti.

Figuræ Sententiæ.

In Logiſmo ſunt quinque. Ecphoneſis, Epanorthoſis, Apoſiopeſis, Apoſtrophe, Proſopopœia.

In Dialogiſmo quinque. Aporia, Anacænoſis, Occupatio, Epitrope, Synchoreſis.

1. *Ecphoneſis.*

1. *Ecphonesis* est Oratio Pathetica per Adverbium exclamandi expressum vel intellectum: Ingens ad everberandos Auditorum animos Instrumentum : ut, *O Clementiam admirabilem! O domus antiqua! heu quam dispari domino dominaris!*

Fit autem per modum Admirationis, desperationis, optationis, irrisionis, gaudii, commiserationis, doloris, invocationis, deprecationis, imprecationis.

Epiphonema est Exclamationis species, quæ ad finem rei narratæ addi solet: ut,

Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

2. *Epanorthosis* est, quando Antecedens aliquid corrigendo revocatur: ut,

Erat hoc mihi dolendum; sed multo magis illud, quod inimicum meum, meum autem? imo vero legum, judiciorum otii, patriæ, & bonorum omnium sic fovebant, sic me præsente, osculabantur.

Aliquando, quasi cum pœnitentia facti; ut, *Sed nimis urgeo: commoveri videtur adolescens.*

3. *Aposiopesis* est, cum per vehementiam aut aliam affectionem sermo præscinditur: ut, *Quem quidem ego si sensero; sed quid opus est verbis?*

4. *Apostrophe* est, cum sermo ad alienam personam convertitur, quam instituta oratio requirit; ut, *Te nunc apello, P. Scipio. Vos adeste iconiæ, & ingratitudinem hominum redarguite.*

Fit

Fit autem variis modis, viz. ad Deum, ad Angelos, ad Adversarios, ad ipsum Oratorem, ad Auditores præsentes, ad absentes, ad mortuos, ad bestias, ad res inanimatas.

5. *Prosopopœia* est, cum alienam personam oratione nostra loquentem fingimus; estque imperfecta & obliqua, vel perfecta; ut, *Patria tecum, Catilina sic agit, & quodammodo tacite loquitur. Nullum jam tot annos facinus extitit nisi per te, nullum flagitium sine te.*

Ingemit, & duplices tendens ad sydera palmas
Talia voce refert, O terque paterque beati!
Queis ante ora patrum Trojæ sub mœnibus altis
Contigit oppetere.

Figuræ in Dialogismo.

1. *Aporia* est Deliberatio nobiscum: ut, *En quid agam? rursusne procos irrisa priores*
Experiar? Nomadumque petam connubia supp'ex.

2. *Anacœnosis* est deliberatio cum aliis: ut, *Quid denique? quid censetis? cedo si vos in eo loco essetis, quid aliud fecißetis?*

3. *Occupatio* est, cum alieni consilii interrogationem occupamus, eique responsionem subjicimus.

Objectio dicitur Prolepsis sive προπορά, cujus signa sunt, *Etsi, quanquam, dicat aliquis, miretur aliquis, &c.*

Responsio dicitur Prosapodosis sive Ἀνθυποφορά, cujus signa sunt, *tamen, at inquam ego, respondeo hunc in modum, &c.*

Prolepsis

Prolepsis fere Prosopoi œiam conjunctam habet; ideoque alias obliqua, alias directa est: ut, *Dicet aliquis, hæc est igitur tua disciplina? Sic tu instituis adolescentes?*

4. *Epitrope* est, cum facti cujuspiam licentia condonatur. Estque Seria vel Ironica. *Habes igitur, Tubero, (quod est accusatori maxime optandum) confitentem reum. Sed tamen hoc ita confitentem, se in ea parte fuisse, qua te, Tubero, qua virum omni laude dignum, Patrem tuum.*

I, sequere Italiam ventis, pete regna per undas.

5. *Synchoresis* est, cum dictum aliquod aut argumentum conceditur: ut, *Sit aliquis fidelis, sit potens in explicanda cognitione, sit sapiens in sermonum justa dijudicatione, sit castus in operibus, quanto major esse videtur, tanto humilior esse debet.*

Figuræ Secundariæ.

Tmesis est compositæ vel simplicis dictionis Sectio: ut,

Est Boreæ regio septem subjecta trioni.

Metathesis est transpositio literæ; ut, *Pistris* pro *Pristis*, *Tymbre* pro *Tymber*.

Metaplasmus est literæ transmutatio; ut, *Olli* pro *illi*, *vortunt, optume*.

Diastole est brevis syllabæ productio: ut,

Cum muliere marem sociali fœdere jungens.

Systole

Syſtole eſt longæ ſyllabæ correptio; ut,
Matri longa decem tulerunt faſtidia menſes.

Hendiadys eſt, cum ex duobus unum intelligitur, Subſtantivo in Adjectivum reſoluto; ut,
—*Pateris libamus & auro*: i. e, aureis pateris.

Anaſtrophe eſt vocum ordo præpoſterus; ut,
Italiam contra, Maria omnia circum.

Epimone eſt frequens verſus Intercalatio: ut,
Incipe Mænalios mecum mea tibia verſus.

Ellipſis eſt omiſſio verbi; ut, *Tantamne rem tam negligenter agier?*

Pleonaſmus eſt redundantia verbi, Emphaſis gratia: ut, *Ubi gentium? hiſce oculis vidi.*

Aſyndeton eſt, cum omittitur copula; ut,
Semel mortuus, bis tumulatus, ter fletus, quater fælix.

Polyſyndeton, cum redundat copula; ut,
Terraſque, tractuſque maris, cœlumque profundunt.

Antitheſis eſt, cum oppoſita invicem reſpondent; ut,
Frigida pugnabant calidis, humentia ſiccis.

Græciſmus eſt Sermonis Græci proprietas; ut,
Nigræ lanarum nullum colorem bibunt.

Hyſteron proteron eſt ordinis naturæ inverſio; ut, *Arma virumque cano.*

Hypallage eſt, cum duæ dictiones commutant caſus; ut, —*dare claſſibus Auſtros*, pro claſſes Auſtris.

FINIS.